



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Linguam potiùs quàm virginitatem amittens Martyr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

culum audistis, etiam praesidium accipite. Si enim meo consilio vultis auscultare, spero, penitusque confido vos mecum, divina adiuuante gratia, tyrannidem nobis imminentem euasuras, virginitatemque, quam Deo vouistis, aeternum conseruaturas. Facile consenserunt omnes, quod iam dudum statuerant. Cum itaque vna voce respondissent, se consilium & exemplum illius secuturas, Abbatissa prima, in conspectu omnium nouaculam arripuit, & quasi de Mutij Scæuolæ gente esset, ipsa sibi nasum à summo, vnà cum superiore labro abscidit, dentesque; foedum in modum retexit. Hoc exemplum ceteræ omnes imitatae, se ipsas pariter denasauerunt. Erat tunc miserabilis & verè monstruosus earum aspectus; qui superuenientes hostes ita deterruit, vt nullam omnium cuperent attingere. Quas igitur venerant violatas occisuri, intactas, in suaue Numinis holocaustum vnà cum monasterio concrematarunt, ipsi naso suspensi, quia nimium nasuti prædam malè odorati fuerunt. Horrentur alioqui monstra, has sine naribus ac labris virgines monstruosas factas, Deus tanto magis amauit, tamquam ipsa monstrositate decoratas.

Ad hanc classẽ pertinet Ascetes ille, qui castitatem & virtutes alias pijs studijs sedulo meditans aequali decertauit agone. Is eum expugnari omnino non potuisset, nullamque aduersarijs vincendi spem reliquisset, post innumera tormenta, in lecto vinculis ligatus reponitur: & mulier impudica ad eum immittitur, quæ illum complectens, exosculans, manusque petulanter ad membra secreta adhibens, procacissime ad rem illicitam, nihil prorsus lasciuia, & illecebrarum prætermittens, concitat. Iste aliud, quod faceret, non habens, linguam ipsi suam morsu concisam, dentibusque comminutam in faciem meretricis expuit. Qua re sibi ipsi quidem pro voluptate acres dolores, impudica autem illi probrum atque stuporem, cum acerbitate, tam vehementibus illis illecebrarum insultationibus superior, conciliauit. Et sicuti in certamine pudicitia aduersus eam victor fuit, ita paulo post vitam martyrii sigillo confirmauit. Nimirum qui didicit vulneratus vincere, meritò triumphauit moriendo; & mortuus est, vt triumpharet. Pergite, qui castitati cauetis, virtutem hanc adumbrare; si non fas est vobis linguam præmorde-  
re, li-

XIII:  
Niceph. l. 2.  
hist. Eccl. c. 184

re, licet tamen vobis cum Paulo corpus castigare, & flagellis sauire in terga, & ibi quoque erubescere. Veneris faces, quæ vino accenduntur, sanguine extinguuntur. Nemo se hic excuset, nemo inermem putet ad pugnandum pro castitate. Hic iuuenis vincit, cum alia omnia decissent, telum in ore reperit, quod impudicæ Thaidi in faciem iacularetur. Nimirum hæc oratio illius fuit:

Senec. in  
Hercule fur.

*Grauent catena corpus, & longa fame*

*Mors protrahatur lenta, non vincet fidem*

*Vis vlla nostram: moriar, ô numen tuus.*

XIV.

Quid de lingua amissa sanctus queratur? si hæc taceat, omnibus membris potest Christum prædicare. Et scimus, multos elingues, ipso Cicerone disertius diuina vi fuisse locutos. Ita si tyrannus membro exempto monstrum voluit facere, Deus monstrum prodigio condecorauit. Quanquam omnino digni sunt hoc plectro, qui eo nôrunt in diuinas laudes vti. Illi autem, quibus hæc in ore caro mille parit infernos, dum lingua Deum blasphemant, dum homines impetunt, dum vyperas agunt, *quorum os maledictione plenum est*, magni meritò beneficij loco habere debent, si linguam amittunt, aut velut capistro iniecto eam sentiunt impediri. Vincentius clarum inter Patres Dominicanos sidus, & ob tot tamque illustria prodigia meritò miraculosus Prædicator, aliquando Valentia, in solenni D. Ioannis Baptistæ festo die, ad populum, in publica concione dicebat. Dum verba faceret, per confertam multitudinem, in medium adducta est mulier muta, quæ in omni vita sua nunquam fari quauerat. Animaduersa fide eorum, qui feminam adduxerant, coepto orationis argumento pausam interiecit Vincentius, oculisque aliquamdiu in cælum eleuatis, postea ad mulierem conuersus mutam interrogauit: *Quid vis filia?* Illa extemporali prodigio respondit: *Panem volo, & officium linguae.* Attonitis omnibus, ait Vincentius: *Panem quidem quotidianum, quam diu vixeris, habebis: officium verò linguae non poteris impetrare: pro futura enim utilitate tua Deus voluit te tali beneficio priuare. Si enim loquendi usum habuisses, tanta fuisset lingua tua mordacitas, ut vitam corporis & anima perdidisses.*

Petr. Ranz.  
Panormit. in  
vita eius. l. 3.  
cap. 1.

Merito